



Early Journal Content on JSTOR, Free to Anyone in the World

This article is one of nearly 500,000 scholarly works digitized and made freely available to everyone in the world by JSTOR.

Known as the Early Journal Content, this set of works include research articles, news, letters, and other writings published in more than 200 of the oldest leading academic journals. The works date from the mid-seventeenth to the early twentieth centuries.

We encourage people to read and share the Early Journal Content openly and to tell others that this resource exists. People may post this content online or redistribute in any way for non-commercial purposes.

Read more about Early Journal Content at <http://about.jstor.org/participate-jstor/individuals/early-journal-content>.

JSTOR is a digital library of academic journals, books, and primary source objects. JSTOR helps people discover, use, and build upon a wide range of content through a powerful research and teaching platform, and preserves this content for future generations. JSTOR is part of ITHAKA, a not-for-profit organization that also includes Ithaka S+R and Portico. For more information about JSTOR, please contact support@jstor.org.

I. BAKII CURAE SECUNDAE

IN

BRUTUM CICERONIS.



Incidi in libellum, superiori anno Lipsiae editum, quo continetur Ciceronis Oratio post reditum in Senatu, cum hac inscriptione: *recensuit, scripturae varietatem adiecit, prolegomenis instruxit, annotationibus et superiorum interpretum et suis explanavit, defendit* HENRICUS WAGNER. Omitto nunc reliqua: sed quid est Orationem Ciceronis defendere? Ubi sunt qui accusaverint, aut qui contra dixerint? Non vulgus curat, multoque minus docti, si cui declamatori libuerit undique conquisitis verbis, sententiarumque affectis simulacris ineptissime se iactare, qui fieri potest ut auditoribus suis coram probaverit flumen et sonitum pronunciandi. Ne vehementer quidem mirandum est, si is, edito istiusmodi inscitiae et impudentiae monumento, aliis adeo fucum fecerit, utque consenescentibus verae elegantiae humanitatisque studiis, detritoque sensu eius quod deceret, quodque rectum in oratione et venustum esset, nullo reclamante praestigiatori eiusmodi concederetur quodcumque vellet quamvis clarum nomen ementiri. Nobis quod defendendum sit nihil cogitari potest, nisi aut factum quoddam, aut sententia. Sed in ea causa quam suscepisse videtur Wagnerus neutrum dici ullo modo potest: neque enim scripsisse quemquam, quicumque tandem fuerit, illam orationem in crimen vocatum est, neque ulla sententia in ea explicatur oratione, quae mera gratiarum actione defungitur, quam ab aliis oppugnatam rursus defendi necesse sit. Nihilne igitur, inquit, condemnauerunt Marklandus et Wolfius? Sane: nec tamen orationem ipsam damnaverunt, sed argumentis inde petitis

debellaverunt communem plerorumque opinionem, vere inscribi eam orationem Ciceronis nomine. Hoc igitur enunciare oportebat Wagnerum, *vere Ciceronis esse defendit.*

Nihil ista, dicat quis, ad Brutum pertinent. Sit ita: sed quum nondum evulsa radicitus superstitio sit, deprehendamque qui ea sint ἀναίσθησις ut inficeta, et tumida, et inflata et nullo delectu profusa pro Tullianis, si dis placet, habeant, qui Marcellianam adeo, sicut ex Wagneri praefatione nunc ipsum didici, minime Tullio indignam demonstrent, munienda sunt eorum ingenia, qui verae laudis cupidi sint, adversus instauratam stultitiae disciplinam, continuoque exercenda in eorum monumentorum interpretatione in quibus incomparabilis illa sanitas spirat et sanguis incorruptus movetur.

Videamus igitur de nonnullis, quae intacta in Bruto reliquum in Scholicorum Hypomnematum Volumine III. complura, ut spero, non falso emendabam, ita ut crebro meam opinionem secutus sit O. Iahnus, in nova Bruti editione.

§ 14. Quod dixi legendum esse *rerum Romanarum memoriam*, commendatur auctoritate Taciti, qui Ann. III. 50. *Salustium appellat rerum Romanarum florentissimum auctorem.*

§ 15. De Attici volumine, quo omnem rerum Romanarum memoriam breviter complexus erat, eam sibi utilitatem habuisse dicit, *ut explicatis ordinibus temporum uno in conspectu omnia videret.* Intellego ordinem aetatum, ut § 223 et 232, et illud ipsum, de quo nunc agitur, *quasi notationem temporum* appellat § 74. Sed, *ordines temporum* qui explicentur, cogitari nullo modo possunt, sed corrigendum videtur *explicatis ordine temporibus.*

§ 16. Elegans in primis locus hic est: *Ego autem voluntatem tibi profecto emetiar*: in quo iure quidem spernitur id, quod Rivius commendaverat, *remetiar*: sed quid *emetiri* sit non cepit Ellendtius, tamquam si *expromendi* et *ostendendi* significationem contineret: imo dicitur pro cumulatiore mensura reddere id quod acceperis, itaque refertur ad illud Hesiodicum praeceptum. — In sequentibus ubi dicitur, *ut impendiis etiam augere possimus largitatem tui muneris*, haerebam olim, quum non intelligerem quomodo Cicero augere posset largitatem muneris quod ab Attico accepisset. Nunc non du-

bito quin hoc velit; quum id, quo remuneraturus esset Atticum, ab hoc sumpturus esset, fore ita ut ea tamquam impendia, i. e. usurae, habenda sint ex Attici munere oriunda, quibus impendiis istud Attici munus largius etiam fiat.

§ 23. *Dicendi autem (inquit Brutus) me non tam fructus et gloria quam studium ipsum exercitatioque delectat quod mihi nulla res eripiet, te praesertim tam studioso.* Dubitare aequum est, cuius rei Cicero *studiosus* dicatur: non sane studii et exercitationis, qua Brutus delectari se dicebat. Ipsi Bruto quomodo studeret et faveret Cicero apparet ex antecedd., tum e § 351, nempe gloriae eius, quod curriculum misera fortuna rei publicae sustulisset. Restitui poterit sana sententia abiectis duabus syllabis vitio iteratis, corrigendo — *eripiet, praesertim otioso.*

§ 27. *Opinio est et eum, qui multis annis ante hos fuerit, Pisistratum — valuisse dicendo.* Corrigendum *fuit*. Nusquam in ea constructione coniunctivus postulatur, nisi id, quod dicitur, necessario continetur eo, quod per accusat. et infinit. enunciatur: quamobrem recte § 54. *appellatus est*: § 46. *quae nunc communes appellantur loci.* Hinc infra § 107. corrigendum *occisus est*, ubi in tempore adeo peccatum erat: et § 79. *accepit.*

§ 30. *Sed, ut intellectum est quantam vim haberet accurata — oratio, tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt.* Nihili h. l. est *etiam*: postulatur *tum iam*, i. e. tum statim. Sed nullo modo ferendum est quod statim subiicitur, *tum Leontinus Gorgias cet.*, tamquam si post mentionem illorum magistrorum nunc diversum quid commemoraretur. Corrigendum, — *exstiterunt, quorum Leontinus Gorgias cet.*

§ 32. Quum de Isocrate dixisset, eius *domum cunctae Graeciae quasi ludum quemdam patuisse atque officinam dicendi*, addit, *magnus orator et perfectus magister, quamquam forensi luce caruit* —. Tribus de causis mihi ista, *et perfectus magister*, per fraudem in contextum irrepsisse videntur. Neque enim *magister* dicitur nisi adiecto Genitivo vel discipuli, vel rei, quam doceret: tum *perfectus* appellari solet quis in aliqua vel arte vel disciplina, ut *perfectus orator, perfectus Stoicus*; artem quidem docendi veteres nullam noverant: postremo illa

quamquam forensi luce caruit non ad magistrum, sed ad oratorem referuntur. De magistro conf. quae explicui olim ad § 307.

§ 40. nisi iam tum esset honos eloquentiae. Constans sermonis consuetudo postulat ut legatur tum habitus esset h. e. — Mox parendum fuerat Ellendtio, qui iure suspicabatur superiorem ab inepto interprete additum esse. Usurpantur talia, ubi, verbi causa, cognomines distinguendi sunt qui in eisdem regni historia clari fuerunt, veluti in Cyro utroque, aut qui eiusdem gentis fuerant, ut in duobus Africanis (§ 77): in duobus illis Lycurgis perquam inscite usurpatur: itaque Atticum illum neque § 36. neque § 130. minorem appellat.

§ 41. Sed studium eius generis maiorque vis agnoscitur in Pisistrato. Denique hunc proximo seculo Themistocles insecutus est. Quid in his offendat olim explicui. Apparet, ni fallor, legendum esse, — in Pisistrato demum. Hunc —

§ 43. Ut enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de Themistocle finxit: — hunc isti aiunt, quum taurum immolavisset, exceperisse sanguinem patera, et eo poto mortuum concidisse. Idem Plutarchus tradit Themist. cap. 31. non appellatis illis auctoribus, sed ὡς μὲν ὁ πολὺς λόγος. Neque istos finxisse hoc genus mortis nosse Atticus poterat ex Aristophanis Equitt. 83:

βέλτισον ἡμῖν αἶμα ταύρειον πιεῖν,
ὁ Θεμισοκλέους γὰρ θάνατος αἰρετώτερος.

Idem mortis genus Psammeniti tribuit Herodotus III. 15. Alia περὶ τῶν λειψάνων Themistoclis ficta, et in Andocide, et in Phylarcho notavit Plutarchus ibid. c. 52.

§ 48. In iis, quae ex Aristotele refert Cicero de dicendi magistris haec ponuntur: nam Lysiam primo profiteri solitum artem esse dicendi: deinde — orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse. Non profitebatur Lysias artem esse dicendi, de qua controversia postea demum fortasse e Gorgia Platonis audivisse potest, sed artem dicendi, τὴν ῥητορικὴν. Itaque, deleta esse, una, quod necesse est, continuatione sententiae legendum, — profiteri solitum artem dicendi, deinde —. Cum his coniungenda sunt quae olim tractavi, nunc in primis retractanda, de Isocrate. Nam post illa de Lysia haec adduntur item ex Aristotele: similiter Isocratem primo artem dicendi

esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in iudiciis uterentur; sed cum ex eo, quia quasi committeret contra legem quo quis iudicio circumveniretur, saepe ipse in iudicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere totumque se ad artes componendas transtulisse. Statim initio huius loci hoc offensioni est, quod *similia* dicuntur quae plane contraria inter se sunt, Lysiam profiteri solitum artem dicendi, Isocratem artem dicendi esse negavisse. Praeterea ne alio quidem modo recte ista inter se conferuntur, quoniam *proferi artem* in facto positum est, *negare artem esse* non nisi opinionis est. Sed corrigendum censeo, iterum abiecto *esse*, *artem dicendi ornasse*. De reliquis maneo in ea sententia; quam tunc exposui, nisi quod molestum istud *sed* tollendum est. In postremis verbis *artes componere*, sicut *τέχνας συγγράφειν*, non intelligendum de arte rhetorica, sed de orationibus epidicticis, quas maxime aetate provector edidit Isocrates. Attigit locum hunc Meierus Lit. Att. p. 352, sed, si recte memini, ita ut mihi non satisfaceret.

§ 49. In his verbis, *Graeciae oratorum partus atque fontes*, postremum falsum esse arguit ipsa syntaxis; siquidem Genitivorum istorum haec ratio est ut alter sit obiectivus, dicatque Cicero, vides quot oratores Graecia pepererit et effuderit.

§ 51. Universe verum vidisse mihi videor, quum huius loci formam corripbam in Scholicis Hypomn. Minutum restabat in postrema parte sanandum, ut legatur, — *omnesque peragravit insulas*, [atque] *ita peregrinata* —. Significat Asiaticos oratores, insulanos ignorat.

§ 55. *Possumus Appium Claudium suspicari disertum, quia Senatam iamiam inclinatum a Pyrrhi pace revocaverit*. In his et qui pro *quia* praestabit, sed certe corrigendum *inclinantem*.

§ 56. Tollendum emblema interpretis ex his de M. Popilio, qui quum Consul esset eodemque tempore sacrificium publicum cum laena faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebi — *seditione nunciata, ut erat laena amictus, ita venit in concionem* —. *Ut erat*, locutione satis trita, est quo erat habitu et vestitu: abiiciantur *laena amictus*.

§ 57. Cethegi eloquentiae idoneus auctor laudatur Ennius,

praesertim quum et ipse eum audiverit et scribat de mortuo; ex quo nulla suspicio est amicitiae causa esse mentitum: imo una vocali duplicata ementitum. Ita ementiri est supra § 42. et servat Tacitus Ann. II. 66. et Hist. IV. 42.

§ 64. Sicut aliquoties alibi, ut olim indicavi, ad § 57, ita hic quoque indicativi servandi sunt, *consecrantur — deletat.* Sed § 68. quoque erratum est in his: *cur igitur Lysias et Hyperides amatur, quum penitus ignoretur Cato?* Corrigendum necessario, *ignoratur.* Si ne noverunt quidem Catonem, cur Lysias amatur?

§ 69. Hunc locum olim attigi, sed iterum iterumque intuens dubitare coepi rectene dicatur, *maiore honore in omnibus artibus — versatur antiquitas.* Frustra quaesivi huius locutionis vel rationem, vel auctoritatem. Sententia manifesto haec est, quae antiqua sint (antiquitatem) in omnibus artibus magis honorari, quam in dicendi arte. Quid est igitur, *antiquitas versatur in aliqua arte magno honore?* Versari in aliqua re dici potest is, vel id, cui vim quamdam agendi aut causam aut culpam tribuere licet. Hoc loco praestabit *servatur*, quo eodem modo corrigendum censebam De Oratore I. 263.

§ 70. Corruerunt et mutilarunt Editores veram formam et consilium interrogationis in his: *quis enim eorum —.* Signum interrogandi reiiciendum est post verba *videri solent.*

§ 76. De Ennio, qui post Naevium scripserat: *qui si illum, ut simulat, contemneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset, sed ipse dicit, cur id faciat.* Vitio iterata syllaba est, delendumque *sed.*

§ 79. In hoc loco bis tollendum est *dicunt.* Animadvertisse mihi videor in istiusmodi opinionis traditione usurpari solitum esse *aiunt* (ut infra § 99 et 107), in *dicendi* verbo autem maiorem contineri asseverationem.

§ 81. Non apparet cur hoc loco dicatur *Graece scripsit historiam*, quum supra dixisset *historiam Graecam* § 77.

§ 82. De Galbae orationibus, exilioribus et antiquitatem redolentibus: *itaque exaruerunt, vix iam ut appareant.* Non placet Purgoldi correctio *evanuerunt*, quod tamen in simili re dicitur § 106. Sed sicuti *florere* scripta dicuntur, quae a multis expetuntur et usurpantur, ita *exarescere* ea, quorum

nemo fere amplius studiosus est. Quemadmodum ad Herenn. IV. 45. rei publicae rationes *exarescere* et *revirescere* dicuntur.

§ 88. Castiganda est interpunctio quam Editores in his propagare videntur: *magna exspectatione, plurimis audientibus, sic illam causam — dixisse Galbam —*: unde quis conficiat rectum esse *dicere magna exspectatione*. Contra *audire magna exspectatione* dicuntur ii qui, dum verba facit orator, non dilabuntur sed permanent. Conf. De Orat. I. 180. Nat. Deor. III. 1. Itaque virgula tollenda ante *plurimis*.

§ 89. Iterum lapsi sunt Editores prava utentes interpunctio in his: *quae quidem vis (Galbae) tum maxime cognita est, quum Lusitanis a Servilio Galba praetore contra interpositam, ut existimabatur, fidem interfectis, L. Libone tribuno pl. populum incitante et rogationem in Galbam privilegii similem ferente, summa senectute, ut ante dixi, M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit; quam orationem in Origines suas retulit paucis antequam mortuus est [an] diebus an mensibus. Tum igitur nihil recusans Galba pro sese et populi Romani fidem implorans, cum suos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat, cuius orbitas et fletus mire miserabilis fuit propter recentem memoriam clarissimi patris, cet.* Sicut multis aliis locis in Bruto, ita hic quoque orationis compositio, compluribus interpositis, aliquanto negligentior est. Abrumpi initio sententiam apparet, si quidem post *tum — quum* non subiicitur id, quod exspectabatur, nihilque eo pertinet, neque ex *quum* suspensum esse potest sequens *Cato — multa dixit*. Igitur neglecto principio ista de Catone interposuit; sed mox, instaurans abruptam narrationem, subdit *tum igitur —*, quae non erant maxima distinctione a superioribus avellenda: sed institutam servans syntaxin scripsit sine dubio *commendaret*, totumque locum concludens non *isque se tum —*, scripsit, quoniam alienissimum hinc est pron. *is*, sed *his se tum eripuit flamma*.

§ 100. Alter autem *C. Fannius, M. filius*, — facile carebimus illis, *C. Fannius*.

§ 108. De *M. Fulvio Flacco* et *C. Catone* dixerat, *mediocres oratores; etsi (addit) Flacci scripta sunt, sed ut studiosi*

literarum: tamquam si alio nomine melius commendanda essent, quam studio *literarum*. Delendum est *sed*.

§ 110. Vitiatum locum olim attigi. Sed certe initio corrigendum est, de *Scauro et Rutilio breviter libet dicere*, pro *licet*.

§ 117. *Is fuit mediocris in dicendo*. Pronomini *is* tum demum locus est, quum explicandi de homine initium fit, ut § 150, 180, 205. cet. Corrigendum *sed fuit*.

§ 118. *in quo perfectissimo Stoico*, de *Catone*: mutandum esse in *perfecto* obtinui, ni fallor, ad *Oratorem* p. 55. In *Fin. V. 44.* superlativi formam postulabat partic. *quam*.

§ 120. *ea ipsa Peripateticorum Academicorumque consuetudo in ratione dicendi talis est, ut* —. Quid sit *consuetudo in ratione dicendi* non facile quisquam explicabit. Corrigendum *et ratio*.

§ 130. — *valetudine incommoda C. Sextius Calvinus fuit; qui etsi, quum remiserant dolores pedum, non deerat in causis* —. Necessario corrigendum *quum remitterent* —, i. e. quoties.

§ 150. Non satisfacit quod olim de hoc loco corrigendo conieci. Verba haec sunt, de *Catulo*: *sed erat talis, ut quum quosdam audires qui tum erant praestantes, videretur esse inferior; quum autem ipsum audires sine comparatione, — melius non quaereres*. Offendit sane hoc, quod in prioribus nulla comparationis mentio fit: tum istud *quosdam*, quo mutato in *coram*, sanam et perspicuam habebimus sententiam. *Orat. 95. et nisi coram erit comparatus ille fortior, per se hic — probabitur. Sine comparatione exstat quoque infra § 173.*

§ 156. *Tum etiam C. et L. Memmii fuerunt oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi*. Verbum substantivum in talibus absolute poni solet, sententiaque postulat ut distinguatur — *fuerunt, oratores mediocres*.

§ 159. Iterum peccatum in interpungendo in his: *erat memoria summa, nulla meditationis suspicio. Imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur*. Tamquam si illa, *nulla suspicio*, tam esset virtus in *Antonio*, quam *memoria*. Imo ad proxima pertinent, a quibus ne divelli quidem oportebat. Quapropter legendum: *erat memoria summa: nulla meditationis suspicio, ut imparatus semper aggredi ad dicendum videretur*.

§ 140. Tractavi locum satis impeditum olim, non tamen

ita ut mea mihi nunc satisfaciant. Statim ab initio quod dicitur, *verba ipsa non illa quidem* — propterea minus probandum est, quoniam non de verbis qualia fuissent dicturus erat, sed Antonium delectu eorum et collocatione valuisse. Quandoquidem igitur non grammaticum, sed cogitandi subiectum est Antonius, sequens pronomen ad hunc referendum est, *non ille quidem elegantissimo sermone, nempe fuit*; sicut § 130. de Calvino *sermone eleganti fuit*: omnino abrumpitur constructio bis instauranda.

§ 151. De Servio Sulpicio: *nam et in iisdem exercitationibus, ineunte aetate, fuimus, et postea una Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset et doctior*. Tria sunt in his notanda. Primum Rhodum adiisse Servium, ita ut hoc vel uno vel praecipuo itinere defungeretur, vix credibile est propter ea quae adduntur, *quo melior feret et doctior*, quibus multo aequius est philosophiae studia, quam rhetorica indicari. Praeterea, quum una (cum Cicerone) eo profectus dicatur, non fuit hoc quidem iter praecipue Ciceroni propositum, sed hic, sicut ipse narrat § 316, Rhodum Molonis causa adiit quum ex Asia redibat. Alterum quod offendit, pronomen *ille* est, cuius hic nulla ratio est. Postremo ne *etiam* quidem locum tueri poterit, si propriam significationem servabit. Quod si conferuntur ea, quae de se narrat Cicero § 314 sqq. non prorsus improbanda videbitur suspicio h. l. eum scripsisse, *et postea una Roma in Graeciam profectus est*.

§ 167. De C. Titio: *huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stilo scriptae esse videantur*. Non puto cuiquam probari posse, ut *exemplorum* copia in *Attici stili* laudibus numeretur: est potius inventionis laus, ut in Crasso § 143. *argumentorum et similitudinum copia*, et § 145. *argumentorum exemplorumque copia*. Melius sane altero loco cum *urbanitate facetae* iunguntur. Sed credibile est scripsisse Ciceronem *tantum leporis*.

§ 175. *Item in iure et ante hos* — . Nunc quidem abstinendum censeo a loco corruptissimo, quem frustra corrigere tentabam.

§ 178. De P. Cethego: *cui de republica satis suppeditabat oratio. Totam enim tenebat eam penitusque cognoverat*. Legen-

dum *noverat*. Primum *noveram*, non *cognoveram*, pro imperfecto poni solet, quod h. l. requiritur. Tum *nosse* in ea re usurpari solet, non *cognovisse* aut *cognoscere*: III Legg. § 41. *nosse rempublicam*. Supra § 98. *cognoverat* et Plusq. perf. est, et, sicut oportet, ponitur pro *didicerat*. Itaque infra quoque § 269. corrigendum est *noverat*. Quod *oratio suppeditare* cui dicitur, retinuit Tacitus Hist. IV. 40.

Oblitumne dicemus Ciceronem eius quod ageret, an corrigemus quod ex omnibus libris editur § 181: *quid enim est superioris aetatis, quod scribi possit de iis, de quibus nulla monumenta loquuntur* —? Voluit certe, in hoc sermone, *quod a me dici possit*.

§ 184. Ne hoc quidem probo, quod dixi *eloquentiam meam* offensioni esse. Infra quoque § 518. idem dixit. Sed appellatur eloquentia sine ulla eximiae cuiusdam laudis significatione, de facultate dicendi qualiscumque aut quantacumque sit.

Non intellecta est ab Editoribus argumentatio in his § 188: *denique hoc specimen est popularis iudicii, in quo numquam fuit populo cum doctis intelligentibusque dissensio*. (189) *Cum multi essent oratores in vario genere dicendi, quis umquam ex his excellere iudicatus est vulgi iudicio, qui non idem a doctis probaretur?* In hac sententiae distractione non apparet quo pertineat *hoc specimen*: siquidem pronomen ipsum indicat sequi oportere eius explicationem, qua in re cerneretur illud *specimen*. Eam explicationem, post verba — *intelligentibusque dissensio*, statim ita subiungere potuisset, *quod cum multi essent — nemo umquam ex his —*: sed maluit eam in alia forma enunciare, — *dissensio; cum multi essent — quis umquam —?* Editores quam sequuntur distinctionem, ea obscurat perspicuam Ciceronis enunciationem.

In ea forma, quam instituit § 196. *quod scriptum esset negligi, et opinione quaeri voluntates et interpretatione disertorum scripta simplicium hominum pervertere*, aequum est ut corrigatur *perverti*.

Minime expedita est compositio eorum quae de Crassi oratione in causa M. Curii dicuntur, § 197. nec dum plane mihi satisfacit quod olim disputavi, quum dicerem *hoc simili con-*

constituto legendum videri; nam vix ferendum *simile consti- tuere*. Sed in sequentibus restat hoc, quod verbum *delectavit* caret obiecti accusativo, praetereaue mentio *omnium*, qui *aderant* postulare videtur ut ante alii commemorati fuerint. Quapropter locum ita describam, — *hoc ille initio constituto, nullis eiusdem generis sententiis delectavit iudices animosque omnium qui aderant — traduxit.*

§ 199. *Praestat etiam illo doctus auditor indocto, quod saepe, quum oratores duo aut plures populi iudicio probantur, quod dicendi genus optimum sit intelligit.* Si *saepe*, igitur nonnumquam *non intelligit*: quod ridiculum. Corrigendum: *quod ipse*. In seq. § 200. *saepe iudicat recte dicitur.* Ibidem, quod dicitur, *ea si praeteriens — adspexerit, si nihil audiverit, tamen — intelliget*, sic enunciatur tamquam si intelligentia illa oriretur inde, quod *nihil audivisset*. Necessario requiritur *etsi nihil audiverit*.

§ 204. *Nihil tam dissimile quam Cotta Sulpicio.* Obtemperandum fuerat Madvigio, *Sulpicii* corrigenti, qui prudentissime de duplici syntaxi praecepit. Ubi enim duo ita comparantur, ut utriusque aestimatio prodatur, Genitivus postulatur, diciturque hoc, alterum alteri substitui posse. Sic IV. Academ. 54. *ova ovorum et apes apum simillimae*, non *ovis* aut *apibus*, quod ineptum fuisset. Sed ubi illustrandi tantum causa similitudo esse dicitur, Dativo indicatur. Itaque Att. XIII. 21. *Carneades προβολήν pugilis, et retentionem aurigae similem facit*, corrigendum *pugili*. Et II Nat. Deor. 153. si dicitur *vita beata par ac similis Deorum* explicandum ex stulta exaggeratione Stoicorum. Ligar. 11. recte, *haec sunt prodigiis similia*. Sed Genitivus restituendus Offic. I. 121: *Superioris Africani filius non tam potuit patris* (edi solet *patri*) *similis esse quam ille fuerat sui*: conf. Tusc. I. 81. — Infra § 216. legendum *oratori simile*.

§ 209. De illo more, *ut causae singulae defenderentur a pluribus* (§ 207.) ita iudicat: *sed quia et labor multo maior est totam causam quam partem dicere, et quia plures ineuntur gratiae si uno tempore dicas pro pluribus, idcirco hanc consuetudinem lubenter adscivimus.* Explicari mihi vellem quomodo

quis uno tempore pro pluribus dicat. Mutandum videtur in: si uno tempore dicatur a pluribus.

§ 215. Perperam propagatur, *reperiebat quid dici opus esset*, pro *quod*. Mox non ferendum *enitebat*, et ne Codicum quidem auctoritate opus est ut defendatur *nitebat*.

§ 216. *tardus in cogitando*. Imo *in excogitando*, ut ratio suadet: conf. infra § 235 et 239.

§ 219. *Tum Brutus admirans, tantamne fuisse oblivionem, inquit*. — *Mirari poterat istud Brutus, non admirari*, si vera sunt quae disputavi ad Oratorem. Sed totum participium abiciendum.

De eodem Curione quod dicitur, *huic minime mirum est ex tempore dicenti solitam effluere mentem*, explicabit fortasse quis, mentem quam solebat habere. Sed quum modo dictum esset eum *hac parte animi, quae custos est caeterarum ingenii partium, debilem fuisse*, vehementer suspicor corrigendum esse *solidam*, ut referatur ad id, quod § 217. fin. narratum erat.

§ 225. *nunc ad eam (aetatem), de qua aliquantum locuti sumus, revertamur*. Postulatur, credo, *de qua iam aliquantum*.

§ 254. De Curione dici non potuit, *tenuit oratorum locum, sed oratoris*.

§ 235. De P. Lentulo, quum actionem laudavisset addit, *sic in hoc nihil praeter actionem fuit*. Corrigendum, *sed in hoc* —, quod Orellio placebat.

§ 256. M. Piso dicitur habuisse genus acuminis *versutum et sollers, sed saepe stomachosum, nonnumquam frigidum, interdum etiam facetum*. Postremum eiusmodi est, ut *frigidum et facetum* in ascensione dicta videantur. Legatur potius *interdum tamen facetum*.

§ 257. L. Furius parvo ingenio, *sed multo labore, quoquo modo poterat, saepe dicebat*. Imo *et saepe dicebat*: nisi malis eum nonnumquam etiam quo modo non poterat dixisse.

§ 240. Lambini correctio, *studio discendi, pro studio dicendi*, improbanda quum per se, tum collatis § 25, 245, 247.

§ 242. Q. Arrius omnibus exemplo esse dicitur, *quantum in hac urbe polleat multorum obedire tempori multorumque vel honori vel periculo servire*. Primum per se in se cite bis multo-

rum ponitur. Praeterea et absolute dici solet *tempori obedire*, ut *tempori parere*, Att. VII. 17. et, si de pluribus sermo est, non *tempus* sed *tempora* dicuntur, ut Leg. Manil. 1. *amicorum tempora*. Quapropter recte Schutzius prius *multorum* delevisset, etiamsi nullius Codicis auctoritas accederet.

§ 245. *T. Torquatus — a natura ad dicendum satis solutus atque expeditus, cui si vita suppeditavisset — Consul factus esset. In hac quidem structura requiro qui si vita suppeditavisset. Neque enim postulatur Dativus: cf. § 105. 124.*

§ 246. De M. Pontidio dicitur, eum ita effervescentem in dicendo fuisse, *ut non cum adversario solum, sed etiam, quod mirabile esset, cum iudice ipso — iurgio saepe contenderet. Non sine causa Ellendtius omiserat esset, quam Orellius aut non perspexit aut neglexit. Servato quippe esset hoc dicitur, ipsum Pontidium voluisse illud mirabile efficere: contra, Cicero satis id mirari non potest.*

§ 259. De Cottae locutione, qui *sonabat contrarium Catulo, subagreste quoddam planeque subrusticum*, additur, *alia quidem quasi inculta et silvestri via ad eandem laudem pervenerat. Quid necessario corrigendum sit, dudum viderat Manutius, nostrae aetatis Editores nescio qua inscientia sermonis spreverunt. Sed tum quidem h. l. ineptissimum est, tum in eiusmodi translata dictione cum quasi iungi solet saepe quidam. Sic, ne longe abeam, Orat. 53. puro quasi quodam genere dicendi 55. actio quasi corporis quaedam eloquentia. In posterum igitur edatur quadam, de quo olim, ad § 227. dubitabam.*

§ 262. Brutus Caesaris orationes sibi vehementer probari dicit: *complures autem legi. Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum. Valde quidem, inquam, probandos. Fieri nullo modo potest, ut Brutus commentarios quosdam appellaverit (quamquam supra erat historia quaedam Graeca § 77): tum ea distinctione utuntur Editores, ut si ageretur de eo, quod Brutus legisset. Edendum sic est: complures autem legi, atque etiam commentarios quos scripsit rerum suarum.*

§ 265. *Ipsa illa comparatione disciplinae dicendi iam in patronorum numerum pervenerat. Non intelligo quam com-*

parationem voluerit. Fortasse probabitur *praeparatione*. Sermo est de institutis et praeceptis Hermagorae.

§ 275. Primum necessario corrigendum, *quaecumque eius in exitu vel fortuna vel mens fuerit*, pro *fuit*. Tum, quae subiiciuntur, *quam eius actionem multum — perurbana commendabat oratio*, vindicanda sunt a Jahnii suspicione, in relativo *quam* latere aliquod adiectivum. Manifesto is *actionem* interpretabatur orationem: nec vidit, quod antecedd. docere poterant, *actionem tribuniciam* intelligendam esse, quam appellat Rabir. 17.

§ 277. in M. Calidii oratione dixerat nullam vim et contentionem esse, quo eius defectu se aliquando in causa quadam usum esse ad eum coarguendum: *hoc ipsum*, inquit, *posui pro argumento, quod ille, cum pestem capitis sui, cum indicia mortis se comperisse manifesto et manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter*. Sed *indicia mortis* non nisi in mortuo appellari possunt, id quod ab hac narratione alienum. Si *sceleris* dixisset, intelligerem. Sed certe substituendus erit Genitivus eius rei, quae tribuenda esset ei, qui ista perficere destinaverat. Aliquanto melius Tacitus Ann. III. 7: *nec ulla in corpore signa sumpti exitii reperta*. — Mox § 278. e Quinctiliano sumendum erat *non frons percussa*, pro inepto *frons non percussa*.

§ 281. *Ut pater eius fecerat, ut reliqui clariores viri*. Quorsum ille comparativus? Non tamen patris famam minuere voluit: et sic dicendum fuisset *clariores etiam viri*. Hoc quoque offensioni est, quod ita omnes qui umquam Romae clari viri fuerunt intelligendi sunt. Sed voluit sine dubio *ut reliqui de maioribus clari viri*.

§ 285. Quod dixi corrigendum esse *alia aliis meliora*, defenditur cognita varietate lectionis in § 87.

§ 287. De Falerno vino, novo an vetere: *sed*, inquit, *nimia vetustas non habet eam, quam quaerimus, suavitatem nec est iam sane tolerabilis*. Istud sane per se non est huius loci: corrigendum *sano*.

§ 289. De Demosthene imitando: *o di boni! quid, quaeso, nos aliud agimus aut quid aliud optamus? at non assequimur. Isti videlicet Attici nostri quod volunt assequuntur*. Sic eden-

dum erat, sine distinctionibus quibus Orellius utitur, et deleto enim (*isti enim videlicet*), quod ironiae vocabulum *videlicet* corrumpit.

§ 291. Appellatur *acutum, prudens, et idem sincerum et solidum et exsiccatum genus orationis*: in quibus Ellendtius *exsiccatum* invidiosius a Cicerone de industria dictum esse putat pro *sicco*. Quae est ista invidia, quae corrumpat veram indolem verborum? Rescribas *siccum*. Non difficulter reperies unde orta sit illa enunciandi pravitas.

§ 295. Atticus dicit: *cedo, quaeso, orationes — sunt enim — et dic hunc, quem tu plus quam te amas, Brutum velle te illo modo dicere*. Mirum Interpretes non ex ipso ambiguo sensisse *Brutum* stulte interpolatum esse: videtur enim nunc ita loqui, tamquam si Brutus voluerit Ciceronem illo modo dicere. *Hic*, non addito nomine, de praesenti dicitur, ut § 331.

§ 298. *adolescentes quid in Latinis potius imitemur, non habebamus. Imo quod.*

§ 302. De Hortensio, qui nullum patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret aut medicaretur extra forum: *saepissime autem eodem die utrumque faciebat*. Aliquoties superlativi formas recte, opinor, coercui. Et hic satis erit *saepe*.

§ 306. *in quo (philosophiae studio) hoc etiam commorabar attentius, quod etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur*. Ernesti de huius loci lectione mutanda suspicio inde explicanda, quod non attenderet *res ipsas* intelligendas esse eas, quae in iudiciis tractarentur.

§ 307. *eodem anno cet*. De hoc loco maneo in ea sententia, quam olim exposui. Ipsum additum *Romae* ineptum est, siquidem totum illud tempus Ciceroni urbanum fuit.

§ 309. Quum dicit se Diodoti Stoici *artibus variis atque multis* deditum fuisse, nihil aliud sunt *artes*, ut Graece *τέχναι*, praeter singularum rerum disputationes, et tamquam scholae et *ἐπιδείξεις*. Conf. Schol. Hypomn. III. p. 78 sqq. 74 sq.

§ 315. *Sex menses, inquit, cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho, studiumque philosophiae — hoc rursus summo auctore et doctore renovavi*. Quo-

niam *auctor* is dicitur qui suadet et hortatur, ineptum est appellari *summum auctorem*: ne *summus* quidem *doctor* recte dicitur, sicuti supra § 52. *perfectum magistrum* improbavi: multumque diversum esse unusquisque sentiet quod Senect. 46. dicitur *summus in populo magister*. H. l. superlativum istum ortum arbitror ex dittographia *rursus rursus*, et quanto citius abiciendum esse.

Ibid. *Post a me Asia tota peragrata est cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus*. Non attinet refutare interpretationem, quam plerique, ut suspicor, patiuntur, vel ut Cicero peragraverit illos rhetores, vel ut Asiam peragraverit stipatus illis doctoribus. Sed corruptum locum prodit coniectura *quidem*, quae ubi semel, non intellecto compendio, in textum adscita est, alterum, ut fit, peperit flagitium. Corrigendum est, *cum summisque oratoribus exercebar*, deleto *quibuscum*.

§ 517. De Hortensio: *alter ornatus, acer et non talis, qualem tu eum — cognovisti*. Perquam ridicule copula ista interponitur. Legendum, — *acer, non talis* —. Contra, vitio excidit copula in iis quae paullo post dicuntur, *acrem enim oratorem, incensum et agentem et canorum concursus hominum — desiderat*. Perpetua Ciceronis consuetudo postulat *et incensum*.

§ 522. Nondum mihi displicet, quod dixi corrigendum esse in his: *nemo qui breviter arguteque illuso adversario laxaret iudicum animos atque a severitate paullisper ad hilaritatem risumque traduceret*, pro *incluso*. Poterat sane *breviter includere* referri ad syllogismi breviter et ἀνάγκη: sed neque cum *argutis* coniungere licet syllogismum, neque hic omnino in oratoriis laudibus cogitari potest, neque ad *hilaritatem* traducit audientes: non certe syllogismis idem hoc consecutus est Crassus, § 197. *Illudere* adversarium quum dicit, cogitat eam sententiae figuram, quam ipse *illusionem* appellavit De Orat. III. 202.

§ 523. In his, *ne quum pares honore essemus, aliqua re superiores videremur*, post *superiores* excidisse puto esse.

§ 525. Non spernendum erat quod Ernestus commendaverat, ut, quum dixisset *causas reperiemus verissimas duas*; le-

geretur *primam* (non *primum*), quod genus erat orationis *Asiaticum* —. Alterum rectum esset, si quod abesset. De hac prima causa aliquanto fusius loquitur usque ad § 327. ubi instaurat et concludit idem sic, *sed quum iam honores — nec decebat idem*. Altera causa indicatur in seqq., quodque *exercitationem — dimiserat*.

§ 326. *Non probabantur haec senibus — sed mirabantur adolescentes* —. Si vera sunt quae et alibi, et ad Oratorem disputavi, h. l. corrigendum, omisso *sed*, *admirabantur*.

§ 327. Vitiose editur e libris *studiumque dimiserat*. Imo *remiserat*, ut modo supra § 320. multisque aliis locis, quos putidum sit indicare.

§ 329. Omiserunt Editores corrigere id, quod vitiosum propagatum est in his: *sed fortunatus illius exitus, qui ea non vidit quum fierent, quae providit futura*. Necessario postulatur, *qui ea non viderit*.

§ 350. Orellius, libros quosdam secutus, sic edidit: — *quod ea gessissem, quae de me etiam me tacente ipsa loquerentur mortuo viverentque*: e quibus ridicula syntaxis conficienda, *quae de me viverent*. Melius Ellendtius, quem non fugisse videtur, ut *tacere et loqui, ita mortuum esse et vivere inter se opponi, alios secutus libros, mortuoque viverent*: sed abesse non potest pronomen, legendumque *mortuoque me viverent*. — Vellein uterque vir doctus agnovisset, in seqq. §. 351, e Corradi correctione legendum esse, *hic me dolor angit*. *Tangit me dolor* neque usquam dixit Cicero (quod non satis est), sed ne dicere quidem potuit, praesertim ubi non de repentina, sed de manente animi molestia sermo est. Miror Ellendtium, quo vulgatum defenderet, hoc excogitasse, verbis *tangi dolore* indicari » originem mali », *sollicitari cura*, » durans malum »: tum si *angi* probaretur, descensionem a vehementiore ad levius ingratham fore. Conferre nos iubet quae supra ad § 142. dedisset, ubi docet *tangere* » de penetrantibus animum doloribus, vel aegritudine dici: » in quibus ne animadvertisse quidem videtur, animi non *dolores*, sed *dolorem* tantum dici, corporis *dolores* (ut supra § 150). Etenim quod Att. VIII. 18. dicitur, *quamquam proprios dolores suarum rerum omnes habebant, tamen huius civi-*

talis miseris non poterant non commoveri, inde explicandum, quod singuli singulorum dolores appellandi erant plurali numero: quemadmodum *nostrorum hominum ingenia* dicitur, quamquam unius non nisi *ingenium* dici potest. Ita Div. IV. 6. *cuius in sermone et severitate omnes curas doloresque deponerem*, i. e. dolorem e singulis rebus ortum. Eademque observatione uti soleo in arguenda Marcelliana, in qua § 34. haec vitiose leguntur, *magnis curis, molestiis, doloribus liberatus*.

Huiusmodi minutis correctionibus emendari posse puto elegantissimi libelli contextum quem nobis Codd. Mss. reliquerunt, ut in singulis obtineatur casta et sincera et solida et sana Ciceronis oratio. Idem si umquam effecerit Madvigius in Catilinariis, cui largissimam Codicum supellectilem praesto fore ipsius causa (nam mea nihil interest) vehementer opto, erit mihi magnus Apollo.

Ἐξακοῦμαι VARIE CORRUPTUM.

In Iamblichi libro de Myster. Aegypt. I. 11. pag. 40. Edit. Parthey editur: εἰκότως αὐτὰ ἄκεα Ἡράκλειτος προσεῖπεν ὡς ἐξακεσόμενα τὰ δεινά. Codices omnes aut ἐξακουόμενα exhibent aut ἐξ ἀκουόμενα, in quo latet vera scriptura ἐξακούμενα. Ignotum Graeculis vocabulum saepe in notiora refigitur. Cyropaed. VIII. ii. 22. τὰς ἐνδείας τῶν Φίλων ἐξακοῦμαι, in libris nonnullis ἐξαρκοῦμαι legitur. In Platonis Menone pag. 91 D. οἱ μὲν τὰ ὑποδήματα [ἐργαζόμενοι] τὰ παλαιὰ καὶ τὰ ἱμάτια ἐξακούμενοι quinque Codd. apud Bekk. ἐξασκοῦμενοι servant. Expunge autem ineptissimum ἐργαζόμενοι. Lucianus Necyom. cap. 17. μισθοῦ ἀκούμενος τὰ σαθρὰ τῶν ὑποδημάτων, ubi duo libri ἀσκοῦμενος habent. Hinc optime iudicari potest quam feliciter Hemsterhusius Aeschini Socratico III. 15. reddiderit τὰ δὲ παθήματα — ἀκεῖται (λόγοις) τοῖς δυναμένοις καθικέσθαι τῆς ψυχῆς pro ἀρκεῖται.